



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Pars III. Collatio cum suppliciis Martyrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

diversa trahebantur. Calamis alii acutis confgebantur, alii laqueo finiebant infamem vitam, quæ pœna omnium vilissima, fœdissima, ignominiosissima semper habita fuit: sed omnium acerbissima est pœna ignis, cujus diversa genera. Nam sedes ferrea Agatoclis ad homines necandos nota est ex historiis; Tunica item, quàm molestam vocabant, quia ignium alimentis illitam & intexam succendebant. Aliàs inferto gutturi unco producti in arenam, ubi postea pendentium crura frangebantur, & igni injecto ardebant, quod supplicium Nero in Christianos exercens, eorum ardore pro luminibus usus est: Denique vivi in ignem injecti: Postremo igneus ille taurus, Perylli inventum, dignaque authore pœna, igne subiecto inclusos omnium crudelissimè torquebat.

318.
*Cedunt
tormento
ignis.*

Horrenda sunt hæc, fateor, suppliciorum genera, & tamen confiteri cogor nullum humanum cruciatum reorum cum priorum manium tormentis componi posse. Atque humana quidem, si ignem exceperis, vel suffocatione, ut submersio, suspendium; vel laceratione, ut membrorum discerptio; vel divisione, ut obtuncatio; vel contusione, ut lapidatio exercentur; quæ omnia etsi lethalia sunt, tamen non tantum doloris pariunt, quàm peracris, & paulò diuturnior castigatio, puerile supplicium. Et tamen pueri apud Lacedæmones in arâ Dianæ, cui Orthia cognomen, flagellis ex more totum diem cedebantur, fortiterque ad mortem usque sub verberibus durabant, studio victoriæ, præmiique illi constituti, qui diutissimè generosissimeque ea tolerasset. Quod certaminis genus quotannis instaurabatur. Quis verò nescit ignis supplicio puerorum castigationem acerbitate cedere? Igitur inter tyrannorum & Judicum inflicta reis supplicia solus ignis cum igne purgante conferri potest.

319.
*Et hic no-
ster ignis
lustrali.*

Porrò ingens inter utrumque discrimen superius demonstravimus, & nunc addimus ignem hunc nostratem, quo iustitia humana, tyrannisque usâ est ad mortali-um cruciatum, à Deo conditum esse ad eorundem mortalium usum, ac delicias; lustralem autem ac inferam ad tormenta Numinis hostium, & injuriarum illius ultionem. Ex quo sequitur vel diversum esse essentiâ (intra tamen ignis rationem) vel quod malimus eundem quidem essentiâ esse cum nostrate, sed intensione, atque acerbitate, longè horribiliorem. Præsertim cum rationi consentaneum sit, ut factæ infinitæ Majestati injuriæ multò acrius castigentur, quàm homini illatæ, vel pu-

niantur, vel puniri queant. Cùm igitur tormentum ignis cætera multis partibus exsuperet, & illud tantum cedat ignis lustrali supplicio, quantum ipsi cætera, imò longè amplius, cum laceratio, aut discerptio membrorum longè plus sit quàm umbra tormenti ignis, conficitur sævissima reorum supplicia lustrali cedere.

Declaratur amplius. Pone varios reorum cruciatum, quos antea protulimus ab unico homine perferri: hic profectò non tantum doloris perpetietur, quantum si singulis corporis partibus tam internis, quàm externis conflagret. Enimverò partium illarum numerus, variorum, qui reis inflicti sunt, cruciatuum multitudinem vincit, & singularum dolor ab igne non parum superat, aut saltem ad minimum æquat dolorem, qui ab aliis tormentis posse inferri. Et tamen si totus homo igne nostrate conflagret, umbram & imaginem exhibebit animæ flammis lustralibus perustæ. Qualis igitur erit dolor à vero illo igne, cum ab illius umbrâ ac imagine plus doloris pariatur, quàm rei multi, vel à Judicibus, vel à tyrannis, omni, præter ignem, tormentorum genere sint perpeffi.

320.
*Hinc ostenditur
hujus
cruciatum.*

PARS TERTIA.

Collatio cum suppliciis Martyrum.

EX quibus satis perspectum est, Martyrum quoque tormentis longè intolerabiliore esse flammam animarum expiatrix. Juvat tamen & id ipsum figillatim ac propriè exponere. Ac Diocletiani quidem decennium vexationis Christianorum, maximè omnium temporum cruentum ac crudele fuit. Anastasius Bibliothecarius septem ac decem Martyrum millia, unico illius mense numerat. Una Ægyptus per illud spatium ad centum quadraginta quatuor millia Martyrio coronatos recenset. Cæteras provincias quid persequar? Si genera suppliciorum istius temporis nosse aures: Ruffinus lib. 1. cap. 8. ex Eusebio apud Thebaidem, ait, omnem mortificationem superat exercitia crudelitatis, pro unguis vestas fœtilium vasorum adhibebant tortores, quibus omne corpus eorumque lacerabant, donec totam carnis eraderent cutem. Aliàs sicuti duæ arbores sibi vicina inveniebantur, vi quadam ab utraque inflexis contra se invicem ramis, eisque singulis singulos Martyris pedes obligantes, subitò ramos, quos vi inflexerant, relaxabant, qui cum ad situm naturalem impetu referrentur, discerptis dissectisque visceribus avulsa secum membra rapiabant, & hoc

321.
*Veterum
Martyrum
tormenta.*

Et hoc per annos aliquot quotidie, quando minimum decem, interdum autem, & uno die centum viri, vel mulieres, & parvuli prædictis pœnarum generibus irucidabantur. Hactenus Ruffinus. Quod si libet hic nonnulla strenuissimorum pugilum certamina spectare. Eutropius Lector quod S. Chrysofomi partibus faveret, quasi Templi, ac curiæ, quæ divinitus arserant, incendiarius per indices delatus, primùm bolis distentis (genus est vinculo- rum tam ligneorum quàm ferreorum) sæpius tortus fuit; post autem fustibus, & clavis ossa ei comminuta: dein unguis membra, latera, & mamillæ concisæ: postremò flammam accensam inferioris corporis partibus exceptit. Ita Nicephorus apud Bollandum Jan. 12. Præterea S. Ephysius, ignem, resinam, picem, oleum, & omne genus pinguedinis candentis duabus fermè horis in pavimento extensus toleravit. Inde in fornacem injectus, flammam illæsus superavit, cecinitque hilaris cum Psalmista: *Ignem me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Et at- tem tam acris flamma, ut circumstantes uno prope temporis momento devoravit. Adhæc S. Martina Virgo, & Martyr sub Alexandro Principe, cum deos inanes colere juberetur, immane facinus summâ libertate detestata, cum fuisset primùm aliquoties verberibus affecta, dein uncis, unguis ferreis, testatur fragmentis lace- cerata, acutissimis gladiis membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demum in amphitheatro ad bestias damnatur, à quibus divinitus servata in ardentem rogam pari eventu conjicitur; demum capite mi- nuta, coronam Martyrii adepta est, cum interea tremente urbe totâ vox è cælo audiretur, quâ ad Superos evocabatur. Vide recens Martyrologium. Atque hæc, & his similia in historiis sacris passim ob- via.

322. Duo sunt inter Martyres tormentorum Diurnis- sævitie, ac numero, & maximè diurnitate summa omni- eximii, S. Clemens Episcopus Ancyra, um Marty- & ejus socius Agathangelus. Propria Cle- ria. mentis hæc fuere: ligno appenditur, & ferro raditur, lapidibus os & genæ illi contunduntur, in carcerem compingitur, rotæ alligatur, fustibus verberatur, cultris laceratur, ferreis graphiis os illi compun- gitur, maxillæ confringuntur, dentes excu- tiuntur, compedibus ferreis constringitur, rursusque in ergastulum conjicitur. Hæc verò cum S. Agathangelo communia, cru- dis nervis bubulis ceduntur, è trabe sus- penduntur, tædis ardentibus latera ustu- lantur, feris objiciuntur, subulæ ignitæ

per medios digitos illis adiguntur, viva calce obruntur, duosque dies in illâ relin- quuntur, lora è cute corporis ab humeris de- trahuntur, fustibus iterum conscinduntur, in lectos ferreos igne candentes conjiciun- tur, in fornacem incensam immittuntur, ibique per diem & noctem cruciantur, lumbi ferro carpuntur, muricibus ferreis, extante supra acie rectâ in terram depactis, injecti fodicantur, quibus gravissimè com- puncti & fauciatii sunt. Agathangelus autem solus liquato plumbo capite perfun- ditur, saxa molaria utriusque collo appen- duntur, tractique per urbem lapidibus pe- tuntur. scorsum rursus Clementi, fibulæ ardentes per aures trajiciuntur, faces ite- rum admoventur, saxo ingenti adstrictus, baculis os & caput contunditur, & quoti- die quinquaginta plagarum ictus sustinet. Demum uterque Ancyra Galatiæ capite plectitur. Quæris quot annis heroës illi contra tyrannos, tortoresque plurimos de- pugnarint? mirum dictu! Clemens octo, & viginti, Agathangelus octodecim.

Atque hæc fuere veterum Martyrum 323. certamina; recentiorum, partim similia, Tormenta recentio- rum Martyrum. partim diversa. Anglicana hæresis suspen- sis, ac palpitantibus adhuc, cor crudeliter extraxit: Gallicana per omne tormenti ge- nus in eos grassata est, Belgica item. Jap- onica superstitione maximè sæviendi perira inter omnes, post ferri iguisque, seu rapidi, ac vehementis, seu lenti supplicia, nova hæc invenit. Sanctos pugiles pedibus ad furcam suspensos, manibus post tergum re- vinctis, mediâ corporis parte deprimunt in scrobrem, quam fetore plenam duplex te- git tabula, ne quid hauriant auræ melioris, vel lucis; itaque vel fetore, vel inediâ, vel sanguinis per os & nares effluxu, lentâ morte conficiunt. Aliàs illos capite deorsum in vas aquæ narium tenus depresso, di- varicatis cruribus, fune in gyros contorto suspendunt, quo deinde celeri circum- actione retexto, ademptaque sic respiran- di facultate miserè cruciant. Aliàs scalis illigant supinos, tum aquam infundibulo in os immittunt, dum ventre ea fatto, ad os usque redundet, ac postremò impositâ ventri tabulâ, pedibusque hinc & inde compressa, ingestam aquam per os, naref- que simul cum cruore excutiunt, diro sciti- cer cruciatu, qui & vitam primo sæpe hu- jusmodi tormento extorquet, & tamen nuper, anno nimirum 1643. quinque è So- cietate Jesu fortissimi heroës, cum tribus adolescentibus, totos ipsos septem menses alternis diebus id supplicii genus constan- tissimè pertulere: si unicum excipias P. Franciscum Marquez, quem parentum Japonum

Japonum impia pietas convellendæ blanditiis ejus constantiæ, aliquantisper domi, sed frustra detinuit. Jam si spatium Japonicæ tyrannidis audire libet, nunc quinquaginta fluxere anni, ex quo non nisi dira supplicia morsque est in oculis Japonum Christianorum: ex quibus plus mille paria primævis Christianis tormenta fidei causâ subire. Sola Jesu Societas octoginta septem generosissimos Athletas in iis recenset, & universim variis orbis, seu novi, seu veteris regionibus unico prope sæculo ducetos, & fere octoginta, præter eos, quos nova Francia, quam Canadam vocant, quotidie nobili palmâ condecorat.

PARS QUARTA.

*Contentio cum tormentis Sanctæ
Christina.*

324. *S. Christina mirabilis tormentis.*
CUM igitur quancumque Martyrum cruciatus lustralibus, ut statim probavimus, acerbitate cedant: Nunc denique an Christina mirabilis proorsu admirabiles voluntariæ penæ expiandarum animarum causâ susceptæ, iisdem lustralibus æquiparari dignæ sint, videamus. Postquam conspectis divinitus purgantibus suppliciis inclityta illa Belgii Herois, penas animarum, gratiâ subeundas suscepit. Ingredebatur, ait *Cantipratanus*, in arduos clibanos coquendis panibus præparatos, & illis incendiis haud secus, atque aliquis ex nobis cruciabatur, ita ut præ angustia & dolore horrendos ederet clamores. Quando ad manū non erant hujusmodi furni in hominum ædibus, jactabat se in copiosos ignes, vel pedes tantum, aut manus immittebat, tamdiu illic tenens, ut nisi divino servata esset miraculo, non potuerit non in cineres redigi. Interdum deponebat se in cacabos plenos bullientis aquæ usque ad mammillas, vel si profundi non essent satis cabi, usque ad renes; membra illa, quæ in aquam ejusmodi immergere non poterat, aquâ ferventi perfundens. Sub aquas Moise fluminis hiberno tempore, cum rigerent omnia gelu, crebro, & diu morabatur, sex, & eo amplius diebus in eo perdurans. Solebat etiam hyeme sub molendini rotâ erecta stare, ita ut aqua, vertente se rotâ, in medium verticem, & totum corpus delaberetur. Interdum in aquis natans simul cum illis ferebatur in rotam, atque horrendum in modum circumgebatur cum ipsâ rotâ. In rotis etiam quibus piratæ plerumque puniri solebant, instar eorum, qui illis excarnificabantur, conorquebat brachia, & crura sua, nonnun-

quam in patibulo, inter fures ex illo pendentes, se suspendebat, ad unum & alterum diem. Sæpe in monumenta mortuorum ingrediebatur lugens illic hominum peccata. Surgebat quandoque mediis noctibus, & totius Trudonensis oppidi canes in se concitans, ante illos ipsam insectantes instar feræ cujusdam cursitabat, sicque per devia, & per densos vepres, & spineta, agitata adeo ab illis compungebatur, & lacerabatur, ut nulla corporis ejus pars vulneris esset experta. Aliàs ipsa se suâ sponte spinis & sentibus compungebat, ut toto corpore sanguine perfusa videretur. Præter has sanguinis profusiones sæpissimè permultum sibi sanguinis venæ sectione detrahebat. Hactenus Cantipratanus. Porrò cursum hunc vitæ per duos, & quadraginta annos tenuit, ut jejunia, aliasque corporis macerationes silentio præteream. Sat enim superque ex his habemus, cur eam plus Clemente, & Agathangelo, plus plurimis simul Martyribus unam pertulisse dicamus. Præsertim cum Deus Martyrum gratiâ vim ignis, atque aliorum tormentorum, aut omninò retunderet, aut saltem mitigaret, quod in Christina nemo sibi persuadeat, dum meminerit eam ad patiendum electam ac confirmatam fuisse.

Cæterum, & Heroidis illius infandas penas purgantibus longè mitiores fuisse, dicere cogimur, si SS. Patrum effatis, Sanctoque Thomæ, & rationibus antea propositis acquiescere velimus. Quibus accedit, quod illa nunquam tota flammis arsisse legatur, qualiter ardent pii manes; neque semper ignem pertulisse, sed aliis tormentis hoc omnium acerbissimum mutasse: cum manes, sine intermissione ullâ dies noctesque flammis expiaticibus perurantur. Quibus si addidero hæc flammæ sine controversiâ ullâ flammæ nostrates sævitie vincere, Christinae tormenta utcumque tormentis Martyrum, latronum, morborumque longè sæviora, piis manibus solatii instar dici & esse poterunt.

PARS QUINTA.

Et prioribus, & voluntariis tormentis præferuntur purgantia, & peroratur.

PRÆTEREO volens collationem cum 326. *Voluntaria*
 penis piorum voluntariis, etsi gravissima *pena.*
 genere incredibile dictu est quod unus ipse Dominicus Loricatus, teste Damiano, utraque

325.
Cadunt purgantibus flammis.